Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26076
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sed qui fuerint coram domino qui serviunt ei. Sic enim et dominus constituit ut qui evangelium praedicant vivant de evangelio. Servire autem domino et habitare coram eo non est loci sed meriti. Huc usque visiones Esaiae sive onera quae certis gentibus imposuit ut iussisti et ut nos quivimus historica interpretatione disseruimus. hebraicae tantum veritatis premente vestigia. quae secuntur ad omnes pertinent nationes. et generaliter ad totius mundi consummationem. de quibus nec tu petisti ut scriberem. nec mihi otium fuit ut superfluo non quaesita dictarem. quae quaesita vix scripsi. EXPLICIT LIBER QUINTUS.

INCIPIT EXPLANATIO LIBRI VI IN ESAIA.

Quod in praecedenti volumine pollicitus sum ut super fundamentum historiae si voluntati nostrae Christus adnuerit spiritale struerem aedificium. et imposito culmine perfecte ecclesiae ornamenta monstrarem. hoc in sequentibus duobus libris o virgo Christi Eustochium orationibus tuis et domini misericordia facere conabor. ut eodem labore quo quintus liber historiam comprehendit. sextus et septimus perstringat anagogen. non omnia differentes ne multa fiant volumina. sed quid ecclesiastici viri ante nos senserint breviter indicantes. ONUS SEU VISIO CONTRA BABYLONEM QUAM VIDIT ESAIAS FILIUS AMOS.

VIDIT NON CARNIS sed mentis oculis. quam magnum pondus Babyloni sit imponendum. Et quia Babylon quae hebraice dicitur babel interpretatur confusio. eo quod ibi aedificantium turrim sermo confusus est. spiritaliter mundus iste intellegitur qui in maligno positus est. et non solum linguas sed opera singulorum mentesque confundit. Huius Babylonis rex est verus Nabuchodonosor contra dominum superbiens qui dicit in corde suo. in caelum ascendam. super sydera caeli ponam solium meum. sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis. ascendam super alti